

Jakob Carmon

**Programma, Qvo Rector Academiae Rostochiensis, Jacobus Carmon, J. U. D.
Pandect. Prof. Ducal. Publ. Ord. ... In Festo Sanctorum Angelorum De
Superstitiosa Pontificiorum Angelolatria disserens, Cives Academicos ...
admonitos vult**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1728?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876770073>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1728. Michael.

~~M-1256. 201.~~

Mun. 1728

PROGRAMMA,

QVO

RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,

JACOBUS CARMON,

J. U. D. Pandect. Prof. Ducal. Publ. Ord. FCTis
Jurid. Sen., & Consist. Ducal. Consiliarius,
& h. Director,

IN

FESTO SANCTORUM ANGELORUM
DE

SUPERSTITIOSA PONTIFICIORUM ANGELOLATRIA

differens,

CIVES ACADEMICOS O. O. HO-
NORATISSIMOS,

ut,

evitatâ istâ,

Angelorum Dominum debite venerentur,

Angelosque pie revereantur,

admonitos vult.



R O S T O C H I I;

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.

Typographi.

M. 1256 201



* * * * *
Uod hodie cū Ecclesia celebramus, Mi-
chaëlis & sanctorum Angelorum Festum,
non equidem divinitus institutum, aut in
Scripturâ præscriptum nobis est: at ab Ec-
clesia tamen ordinatum quondam, à nobis,
reformatam secundum Verbum DEI Religio-
nem profitentibus, idque non sine justis
gravibusque causis, retinetur. Novimus, si
Jacobi de Voragine, Episcopi quondam Januensis, Ordinis Præ-
dicatorum, *Legenda Sanctorum Sanctarumque*, quæ & aliis titulis: *Lon-
gobardica Historia*, *Aurea Legenda*, *Passionale Sanctorum*, inscriptæ reperi-
untur, aut Petri de Natalibus, Episcopi Equilini, *Catalogus Sancto-
rum*, fidei quidquam merentur, haud absque superstitione illud,
Seculi V. Anno XXXIIX, vel L. cum ad superstitionem jam mag-
is propiusque animi mortalium inclinarent, vel bove occasionem
illius dante, primū introductum fuisse. At non est, quod o-
riginem ipsius spectantes, ab ejus nos celebratione deterreri patiamur,
cum & alias deprehendamus, res quasdam, deterioris licet
originis, usum tamen habere meliorem. Utut igitur de prima
illius, sive verâ sive fabulosâ, & occasione & origine sit, nos ea
sanè non tangit, queis satis est, usum in Ecclesiâ Christianâ non
parvi ducendum Festum hoc habere, quapropter & à nobis id ipsum
hodie celebratur. Præterquam enim quod ita DEum, Angelorum
Creatorem, celebrandi, proque ministerio illorum, quod ejus jussu
nobis quotidie præstant, *Ebr. I. 14.* gratias agendi specialem nanci-
scimur occasionem, nostræ, Ducatus hujus Mecklenburgici, *Con-
stitutiones Ecclesiasticæ*, *Tit. von den besondern Festen oder Seyertogen,*
so man im Jahr halten sol, *fol. 161.* numerant & hodiernum Mi-
chaëlis, ceu communiter appellatur, Festum, eâ quidem ex ratione,
ut verba habent: *An welchem die Lehre von den heiligen Engeln dem
Volk sol fürgetragen werden.* Etiam si namque doctrinam de An-
gelis Articulis, ut loqui suevimus, fundamentalibus annumerare
non ausim; utilem tamen eandem in Ecclesia Christiana necessari-
amque reputo, & ita comparatam, ut sine peccato gravissimo,
tanquam in Pandectis sacris expresse proposita, negari nequeat.
Qua-

Quapropter nec JCto haud ita pridem Halensi Celeb. D. Joh. Samuel. Strykio *Program. de Incommodis Festorum*, Inaugural. Disput. de *Jure Sabbathi* præmissis, abrogationem hujus non minus ac aliorum Festorum suadenti, assentiri possum, cum illius rationes nimis leves sint, ejusque indolis, ut simili modo pro abrogatione ipsius diei Dominicæ quis argumentari queat. Retinuit ergo Festum hoc Ecclesia nostra non sine justis causis & annuatim celebrat, verum remotis, quæ in Ecclesia Romana eidem adhæsere hodiernumque adhærent, superstitionibus, sineque omnis idololatriæ subtilioris speciei. Non enim negari potest, insignes in eodem abusus, & non exiguum crassissimarum superstitionum numerum, cum idololatriam sapiente cultu, & eam spirantibus precum formulis hymnisque in coetu Pontificiorum observari. Nolo jam nunc commemorare, quæ illi de tribus sanctorum Angelorum Hierarchiis deque tribus eorum in unaquaque hierarchia Ordinibus, præter omnem Scripturam, hodie cumprimis tradere solent, sua singulis Ordinibus, sed non nisi juxta proprii cerebri commentum, officia assignantes. Neutiquam ex Scripturæ fonte, sed Pseudo-Dionysii Areopagita *de Coelest. Hierarch. Lib. I. Cap. 6.* lacunis ista hausere, pro svavi somnio, quo delectentur fibique placeant ipsis, habenda, dudum rejecta tam à Nostris, Dorschæo *Septen. Singular. Angelicor. Dissert. III.* aliisque, quam Calvino-Reformatis, Chamiero *Panstrat. Cathol. Tom. II. Libr. IX. Cap. XI.* Riveto *Cathol. Orthod. Tom. I. Tract. II. Op. 46.* Quanquam enim nulli negemus, ordines sanctorum Angelorum dari, quos vel ipsa iisdem in Scripturis imposita nomina arguunt, neque credibile est, DEum, qui DEus ordinis est, cunctaque in his terris ordine fieri vult, confusionem inter Angelos permitturum esse; tam accuratam tamen, ex qua series illa certò determinari posset, eorum descriptionem nullibi datam invenimus. Sed mittimus ista, quibus de superstitioso, quem ut aliàs, ita hoc præcipuè Festo, Pontificii exercent, Angelorum cultu potissimum nonnulla proferre, animo sedet. Ubi removenda in antecessum erit, quam commenti sunt, ut idololatriæ suspicionem a se amolirentur, distinctio inter *λατρείας* & *δολείας* cultum, quod iste DEO soli competat, hic autem Angelis sanctisque sit exhibendus. Nullum etenim illius in S. Codice fundamentum invenire datur, qui potius ubique, velut inductio locorum condocere potest, *λατρείαν* & *δολείαν* promiscuè tanquam synonyma usurpat, sive de DEO loquatur, sive de creaturis. Hinc

X 2

est,

est, quod verbo *θελευειν* cultus veri DEI, *Matth. VI, 24. Col. III, 24. 1. Thess. I, 9.* aliisque compluribus locis denotatur. Ut itaque distinctio isthæc Pontificiorum causam nil quidquam juvet, Angelolatriam nequaquam excusatura. Quam crassa verò eadem inter illos vigeat, quantisque permixta superstitionibus sit, ut exemplis clarum faciamus, ex ingenti eorum multitudine unum alterumve, pro scopo nostro, allegabimus, quam pessimè corrupta sit Pontificia Religio, eloqvutura. Templorum exstructio pro proximo quidem sipe habet, ut certa sint loca, in quibus conveniri possit ad cultum DEI publicum exercendum, ultimò tamen primariòque Numinis æterni respiciens gloriam atque honorem. At ex adverso rem hæc Pontificii agunt, æque ut sanctis defunctis, Angelis, cum primis Michaëli Archangelo, templa dedicantes, ut illius in honorem exstructa. Id quod eò minùs inficiari poterunt, quò clariùs illud atque distinctiùs prædictæ Jac. de Voragine *Legende Sanctorum* edicunt, in quibus expressis scriptum est: *juxta Constantinopolim est quidam Locus, ubi olim Dea Vesta colebatur: sed nunc Ecclesia in honorem sancti Michaëlis fabricata est. Qui etiam locus Michaëlium nuncupatur.* Sed gravius quid est, quod sicut alibi, ita & in templis, prout eorum ipsorum *Missa, Officia, Breviaria*, uti dicuntur, precationum item hymnorumque libri abundè teitantur, Angelos, cum haud levi in DEum pariter atque Christum Salvatorem nostrum injuriã, non ut intercessores solum, sed etiam ut opitulatores invocant coluntque. Unus est DEum inter & homines Mediator, homo Christus JESUS, *1. Tim. II. 5.* & hunc unum, qui ipse propitiatio est pro peccatis nostris, habemus Advocatum & Intercessorem apud Patrem, *1. Job. II. 1. 2.* nec ullibi Scripturarum ad alios ablegamur intercessores. Multò minus ullum ostendi mandatum potest, præcipiens, ut Angelos imploremus qui pro nobis intercedunt. Nihilominus Ecclesia Papæ, præter Christum, plures magno numero, & hos inter, post beatam DEI genitricem, Angelos intercessores veneratur, in *Litaniis* suis eosdem invocans: *Sancte Michaël! Sancte Gabriel! Sancte Raphael! Ora pro nobis! Omnes sancti Angeli & Archangeli! Orate pro nobis!* Inter *Orationes Dominicales & Feriales*, annexas *Officio B. Mariæ Virg. Pii V. Pont. jussu edito*, hæc invenitur p. 523. *Antiphona: Princeps gloriosissime. Michaël Archangel, esto memor nostri: hic & ubique semper precare pro nobis Filium DEI. alle, alle.* Et in *Breviar. a Lusum Cisterciens. Ordin. 1519. impr. & ea quidem parte, quæ inscribitur Sanctoralis, ad hodiernum Festum, fol. 82. a. hæc Anti-*

Antiphona: *Michaël prepositus paradisi, quem honorificavit angelorum cives: intercede pro nobis ad Dominum.* Qua cum convenit Collecta f. 85. a. & Beati archangeli tui Michaelis intercessione suffulti, te, Domine, deprecamur: ut quos honore (alibi, ut in Missali Romano, legitur: quod ore) prosequimur, contingamus & mente. Per Dominum nostrum &c. Ne verò solum intercessor Michaël habeatur, en! auxiliatorem etiam eum compellant, & propemodum Salvatorem. In Missali Romano quippe, ex decreto Concilii Tridentini restituto, duorumque Pontificum Romanorum, Pii V. & Clementis IX. jussu & autoritate edito recognitaque, edit. Ingolstadt. 1629, in Dedicatione, celo loquuntur, S. Michaëlis Archangeli, p. 579, est Graduale, in eoque Versus: *Sancte Michael Archangele, defende nos in pratio, ut non pereamus in tremendo judicio, Alleluja.* Et in Breviar. Carmelitar. impr. Venet. 1616. p. 888. Antiphona habetur: *Michaël Archangele, veni in adjutorium populo DEI.* Et ibid. p. 890. invenitur Responsorium: *Hic est Michael Archangelus, princeps militia Angelorum: Cujus honor praestat beneficia populorum, & oratio perducit ad regna caelorum.* Cui statim adjungitur versus: *Archangele Christi per gratiam, quam meruisti, te deprecamur, ut eripias nos a loqueo mortis.* Etiam si enim Angelos in universum omnes hujusmodi cultu prosequantur, Michaëli tamen non solum Festo hoc templorumque dedicatione, sed & orationibus suis primas deferunt, hymno, cujus initium: *Tibi, Christe, splendor Patris;* quem Hymnarium supra dicto Off. B. Mariae V. annexum p. 429. exhibet, canentes:

Collaudamus venerantes

Omnes caeli milites:

Sed praecipue primatam

Caelestis exercitus,

Michaelem in virtute

Conterentem Zabulum.

Imo verò, quantum fiducia in Michaëlem ponere non dubitent, judicare licet ex formula precandi, quem liber Orationum, Hortulus Animae inscriptus fol. 97. 98. continet, hujus tenoris: *Sancte Michael, Archangele Domini nostri Jesu Christi, qui venisti in adjutorium populo DEI: subveni mihi apud altissimum Judicem, ut mihi peccatori donet remissionem omnium peccatorum meorum, propter magnam miserationum suarum clementiam. Exaudi me clamantem sancte Michael, atque invocantem te, & adjuva me Majestatem Domini deprecantem, & interpella pro me gemiscente. & NB. fac me liberum ab omnibus peccatis meis. Insuper obsecro te praclarum atque decorum summe divinitatis ministrum, ut in novissimo die benigne suscipias animam meam in sinu tuo sanctissimo, & perducas eam in locum refrigerii pacis & quietis, ubi sanctorum anima cum latitia & inenarrabili gaudio futurum*

rum iudicium & gloriam beatæ resurrectionis expectant. Amen! Quæ,
quæso Te, Lector! superstitio major: quæ crassior inter Christianos
esse idololatria potest? Sed ne hoc quidem satis illius est. Sunt
Angeli omnes spiritus administratorii, emissi propter eos, qui hære-
des futuri sunt vitæ æternæ, prout *Ebr. I. 14.* describuntur. Hinc
certi sumus, eosdem circa nos esse, nostri curam agere, & nos, DEI
iussu, à malis custodire. Utrum verò id unus continuò, nu n plu-
res præsentent? ignoramus, quia nihil istius nobis revelatum, nihil-
que promissum est. Quapropter & illo providentiæ divinæ unice
commisso, Angelorum custodiam à DEO nobis exorantes, nunc in
singulari, mox in plurali eorum facimus mentionem. Id quod
probat canticum notissimum, in quo rogamus: *Befiehl deinem
Engel, daß er kom, und uns bewach dein Eigenthum, Gib uns die
lieben Wächter zu, &c.*: Quid verò Pontifici? Allegatus supra *Ca-
talogus Sanctorum f. 163. b.* Cuilibet, inquit, homini dantur duo Angeli:
unus malus ad exercitium; alius bonus ad custodiendum. At verò, num
DEUS malos nobis Angelos attribuit, ad exercendum & tentandum
nos? Permittit quidem illorum tentationes, nequaquam verò dat
nobis aut adjungit eos istum in finem. Sed transeant hæc, quia
hic nobis de cultu Angelorum differendum. Quem igitur bonum
Angelum cuius hominum dari dicunt, Angelum hinc proprium
& Tutelarem vocitare solent, de quo, qui desiderat, plura legere
potest apud Becanum *Theol. Scholast. Tract. III. de Angel. Cap. VI.*
Hunc itaque, ut illius custodia dignos se præbeant, honore singu-
lari prosequuntur, tali modo, ut est in *Hort. An. l. c.* eum invocan-
tes: *Obsecro te, angelice spiritus, qui ego indignus peccator ad providendâ
commissus sum, ut indesinenter protegas, defendas, munda, munias me ab omni
incurfu diaboli, vigilantem, dormientem, ac ubique fuero; repelle à me per
virtutem sanctæ crucis omnem tentationem Satana, & quod mea non exigunt
merita, tuis precibus obtine apud altissimum Judicem, ut nihil loci in me ha-
beat. Cumque per abrupta vitiorum me deviasse videris, per semitas justitiæ
ad Salvatorem meum reducere me satagas. Et in quacunque tribulatione, vel
angustia me esse prospexeris, auxilium DEI omnipotentis tuo obtentu & præ-
samine mihi adesse sentiam. Precor te, mi custos, si fieri potest, notum mihi fa-
cias finem meum, diemque obitus mei. Et cum de corpore eductus fuero, non
permittas me malignos spiritus terrere, neque in foveam desperationis deducere.
Non dimittas me, angelice spiritus, donec ad visionem ipsius Conditoris mei per-
ducas me: Ubi simul ego pro opere, & tu pro custodia, unâ cum beatissima DEI
genitrice,*

genitrice, & omnibus sanctis, Domino adjuvante, letemur. *Am.* Quæ cu-
 licet superstitionem Religionis Pontificiæ satis superque loquantur;
 ut tamen, quam superstitiosa hæc Angelolatria sit, clariùs adhuc ap-
 pareat, uno id alterove superaddendo exemplo commonstraturi fu-
 mus. Superstitionem sapit, quod, uti singulis hominibus, sic & re-
 bus publicis suos assignant Angelos protectores proprios. Quod offi-
 cia muniæque inter Angelos distribuere, suaque singulis præscribere
 audent, prouti non modò fabula de tribus trium hierarchiarum Or-
 dinibus, sed & hymnus, quo tam in hoc, quam in Dedicationis Ec-
 clesiæ Festo solent uti, qui incipit: *Christe sanctorum decus Angelorum,*
 passim legendus, conducet, ubi inter alia canunt:

*Angelum pacis Michael ad istam
 Coelitus mitti rogitamus aulam,
 Nobis, ut crebro veniente, crescant
 Prospera cuncta.*

*Angelus fortis Gabriel, ut hostem
 Pellat antiquum; volitet ab alto,
 Sapius templum veniens ad istud
 Visere nostrum.*

*Angelum nobis medicum salutis
 Mitte de cælis Raphael, ut omnes
 Sanet agrotos, pariterque nostros
 Dirigat actus.*

*Hinc DEI nostri genitrix Maria,
 Totus & nobis chorus Angelorum,
 Semper assistat simul & beata
 Concio tota.*

Et quis sanæ mentis negaverit, nefandam superstitionem esse, quan-
 do Angelorum assistentiam in extremis sibi exoraturi Virginem DEI-
 param, ut est in libro precessionum, cui Titulus: *Hora Compassionis Bea-
 tissimæ Virginis*, sic alloqui jubentur: *Sanctissima, piissima & gloriosissima
 Virgo,* . . . *Gaude gaudium Angelorum, quia per te venit homo ad con-
 sortium Angelorum. Ostende mihi faciem tuam, priusquam anima mea resolu-
 vatur à corpore. Adduc tecum S. Michaelem Archangelum, cum sanctis
 novem Angelorum ordinibus, Johannem Baptistam, Petrum & Paulum
 cum sanctis Apostolis, Johannem Evangelistam, tuum virginicum custodem, cum
 cæli ceteris primatibus, quorum te decet comitatus, ut vestro aspectu terra ca-
 terva demonum dispergatur, quæque hujus farinae plura sequuntur.*

Adduximus hæc, CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI!
 ut vel ex iis judicetis, quantum idololatrici cultus dominetur in Re-
 ligione Papistica, quot quantisque foedis conspurcata eadem sit su-
 perstitionibus, quas à veris Christianis longè remotas & alienas vult
 sacer sacrarum Literarum Codex. Nec, talia in lucem protrahi,
 veramque Religionem profitentibus ob oculos poni, inutile ducen-
 dum est, ut ab istis animi hominum tantò magis abalienentur.
 Idque cumprimis, quoniam Papistæ hæc talia vel quocunque mo-
 do

do colorare, vel extenuare, quantum fieri potest, allaborant. Judicetis autem ipsimet, velim, an talis Angelorum cultus vel cum ipsa sanâ ratione consistere possit? Angelos finitas creaturas esse, neminem, reor, temerè negaturum esse. Ast quando illi in omnibus, ~~or~~ **his** angulis ab innumeris hominum myriadibus invocantur, utque ~~in~~ **in** auxilium ipsis veniant, rogantur, num isti horum omnium preces audire, an omnibus succurrere possunt? Non est hoc nisi omniscii, omnipresentis ac omnipotentis. Creaturam verò finitam infinitâ scientia, presentia atque potentiâ pollere, contradictio est. Non relinquit Angelolatria hæc DEO & Christo, Salvatori nostro, quæ sua sunt. Absit igitur, & absit quam longissimè, Religionem nostram, gratia divinâ, Lutheri ministerio repurgatam tam infandis rebus iterum commaculari. Absit & à nobis, talia probemus aut iisdem conscientias nostras oneremus. Celebramus equidem Angelorum Festum: non autem ut eos, sed ut eorum Conditorem atque Dominum colamus. Grati quidem eorum circa nos ministerium agnoscimus: verum non ut eos ipsos, sed DEum illorum nostrumque propterea invocemus. Et huic soli, sicut rerum nostrarum omnium, ita etiam custodiæ angelicæ directionem committimus, omnem caventes fugientesque superstitionem. Ceterum, cum plura paginæ angustia non permittat, id unicum Vos, CIVES! monitos velim, ita Vos omni tempore geratis, ut ne custodia sanctorum Angelorum Vosmet faciatis indignos. Sancti sunt illi spiritus, ideoque non nisi cum sanctitatis studiosis conversari amant, temerarios autem & præfractos peccatores fugiunt. Ita vivatis, ne DEus, Angelorum Dominus, justo iudicio sanctorum Angelorum custodiam Vobis subtrahat, & in malorum confortium Vos ruere horumque retibus irretiri, permittat. Quapropter finem dicendi facturum, Veterum illud Vobis acclamo:


*In quovis angulo reverentiam exhibe tuo Angelo,
Valete!*

P. P. sub Sigillo Rectorat. Academ.

in Festo S. Michaëlis,

d. 29, Septembr. Anno MDCCXXIX.





genitrice, & omnibus sanctis, Domino adjuvante, letemur. Am. Quæ cu-
 licet superstitionem Religionis Pontificiæ satis superque loquant
 ut tamen, quam superstitiosa hæc Angelolatria sit, clarius adhuc
 pareat, uno id alterove superaddendo exemplo commonstraturi
 mus. Superstitionem sapit, quod, uti singulis hominibus, sic &
 bus publicis suos assignant Angelos protectores proprios. Quod
 cia muniaque inter Angelos distribuere, suaque singulis præscrib
 audent, prouti non modò fabula de tribus trium hierarchiarum
 dinibus, sed & hymnus, quo tam in hoc, quam in Dedicationis
 clesiæ Festo solent uti, qui incipit: *Christe sanctorum decus Angelorum*
 passim legendus, condocet, ubi inter alia canunt:

*Angelum pacis Michael ad istam
 Coelitus mitti rogitamus aulam,
 Nobis, ut crebro veniente, crescant
 Prospera cuncta.*

*Angelus fortis Gabriel, ut hostem
 Pellat antiquum, volitet ab alto,
 Sapius templum veniens ad istud
 Visere nostrum.*

*Angelum nobis medicum salutis
 Mitte de caelis Raphael, ut omnes
 Sanet agros, pariterque nostros
 Dirigat actus.*

*Hinc DEI nostri genitrix Maria
 Totus & nobis chorus Angelorum,
 Semper assistat, simul & beata
 Concio tota.*

Et quis sanæ mentis negaverit, nefandam superstitionem esse, quæ
 do Angelorum assistentiam in extremis sibi exoraturi Virginem D
 param, ut est in libro precationum, cui Titulus: *Hora Compassionis*
 tissime Virginis, sic alloqui jubentur: *Sanctissima, piissima & gloriosiss*
Virgo, . . . Gaude gaudium Angelorum, quia per te venit homo ad
fortium Angelorum. Ostende mihi faciem tuam, priusquam anima mea r
vatur à corpore. Adduc tecum S. Michaelem Archangelum, cum san
novem Angelorum ordinibus, Johannem Baptistam, Petrum & Pau
cum sanctis Apostolis, Johannem Evangelistam, tuum virginem custodem,
caeli ceteris primatibus, quorum te decet comitatus, ut vestro aspectu terra
terroa demonum dispergatur, quæque hujus farinae plura sequuntur.

Adduximus hæc, CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI
 ut vel ex iis judicetis, quantum idololatriæ cultus dominetur in
 ligione Papistica, quot quantisque foedis conspurcata eadem sit
 perditionibus, quas à veris Christianis longè remotas & alienas
 facer sacrarum Literarum Codex. Nec, talia in lucem protra
 veramque Religionem profitentibus ob oculos poni, inutile duc
 dum est, ut ab istis animi hominum tantò magis abalienen
 Idque cumprimis, quoniam Papistæ hæc talia vel quocunque

